QVÆSTIO MEDICA
QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS II. IANVARII.

M. GILBERTO PVYLON, Doctore Medico, Præside.

An cæcitas individuus variorum morborum assecla?

I.

ANIMA rationalis corpori mancipata, substantia est incorporea, senij ut interitus nescia, re simplex, virtute multiplex, omnium suarum facultatum stipata satellitio semper & ubique suas omnes nata obire functiones, ubique non obit. In cerebro imaginatur, intelligit, non in corde; in aure non videt, sed in oculo; non semper: verum ubi sic se habent omnia, ut nihil illi desit eorum, quæ ad visum concurrunt & conferunt. Concurrunt objectum proprium & commune per unam eandemque speciem, oculus per illius receptionem & perceptionem, confert medium tanquam vehiculum illi transitum præbens; id corpus est, (non vacuum) perspicuum, non omne perinde, & motus expers. objectum proprium lux & color, neutrum intentius: illa quo remissior & medium tenebris magis obsitum, visus aciem ferit potentius, etiam eminus; eo illustrato non sentitur (tametsi careat contrario) hic secus ex diversa opaci, perspicui & lucidi permi-ctione; vel ex varia luminis refractione & reflexione genitus. Lumen lucis comes individuus, & jugis proles, perspicui actus; lux & color opaci: hoc imaginem sui oculo dum imprimit, non solam qualitatem, qua aspectabile est, verum & magnitudinem, figuram, numerum, motum & quietem objicit (non unius sensus objecta) de quibus ut recte judicet visus, præ sui exilitate, vicinia aut distantia nimiis, motus obscuritate, vel positu non è directo, hujus censuram non declinent, aut fugiant. Itaque medij, vel objecti, non oculi vitium aliquod si efficiat, aliter quid à visu renuntiari quam fit in rebus, ut si porticum paris ubique latitudinis in altero extremo angustiorem infamet: vel fixum palum in aqua inflexum aut fractum asserueret adversus conscientiam integritatis, prævaricationem illi exprobrare nefas est. Vel invaletudinem aut impotentiam, quod in minimis animalculis pabuli transmittendi, decoquendi defæcandique membra non apprehendat. Oculum componunt aut constituunt, tunicæ quinque, ligamenta varia, humor unus, corpora duo, venæ duæ, arteriæ totidem, nervus unus, spiritus insitus & influens. Ex tunicis sola cornea totum oculi bulbum investit, parte sua antica tenuior & translucida est, arachnoides lævissima, tenuissima externam crystallini superficiem dumtaxat tegit, tota diaphana: illa ut emissitias lucis & coloris species transmittat, & quidem facilius, hæc ut cum crystallino admissas & receptas infrænet ac sistat, non pœnitus semper, & sensu percipiat: utraque coloris venarum & arteriarum exsors, ut fideliter. Cæteræ ne opacitate sua aditum illis occludant foramine perviæ sunt, & quidem inæquali. Extima candida maiorem iridis circulum efformat, uvea minorem amphiblistroides crystallino omnino æqualem, priori majorem. Solius medij circuli una non est constansque amplitudo, ea nunc major, nunc minor, pro luminis & coloris intentionis occursu, absentia vel spirituum appulsu: minor fit pupillæ coarctat

major dilatatione, per illam accessus fit ad crystallinum: per hanc ab eo recessus: illa actio est, hæc non item. an pupilla res quædam inanis est? Nequaquam. Limbulus est membraneus, perinde ac iris latus, orbicularis, in umbilico circulariter pertusus, vagus, nulli parti adhærens, uni rhagoeidi continuus: is crebris repentinis & contrariis cietur motibus, quibus ne uvea à cornea (cui per tenuia filamenta & exiles vasorum surculos ubique conjungitur) divellatur, utramque arcte copulavit natura ligamento lato, circulari, ab innumeris fibris rectis iisque brevibus admirabili serie adjectis firmiore, crepidine crassiori ad pupillæ exortum conversa, colore naturali, ab uvea quidem dissimili, adscititio plane simili, eoque fusco ad spirituum cristallini & vitrei corporum splendorem tuendum & conservandum. Amphiblistroides cerebri productio, officio tunica, non substantia, vitrei nutrix, nitoris illius munimentum, spiritus influentes in totum oculum diffundit, & eos rerum externarum sensatione imprægnatos ad cerebrum revehit, cum aranea tunica sic coit, ut non unio utriusque, sed continuitas videatur, quam roborat ligamenti ciliaris per crepidinem coalitus, ut reticularem per fibras omnes rectas adhæsus. Humor aqueus, tenuis, purus, limpidus, copiosus, lumen & rerum formas refringit à perpendiculari, ut corpus crystallinum sua tectum membrana διαφανὲς, λαμπρὸν, καὶ καθαρὸν, parte sua postica plane sphæricum, ἀσκέπαστον καὶ γυμνὸν χιτῶνος, oculi pars princeps ad perpendiculum, qua refractione in punctum desinente, lumen debilius magis unitur, roboratur, objectorum spectra vegetiora altius imprimuntur, impressa hærent & percipiuntur: si quando penitus non restitent, corpori vitreo ἀχρόῳ, pellucido, sensus compoti, molliori quam sit cristallinum (cum quo visus societatem init,) insculpuntur, & ab eo sentiuntur, nec reflectuntur, sed in ejus mollitie contabescunt, paulatimque intercidunt. Nervus unus maximus plurima substantia medullari constat, per quam à quarto cerebri ventriculo spiritus influentes uberrimi derivantur. Vena & arteria duplex, interna una, externa altera, illa nervo optico accumbit, partesque oculi globo contentas alit; hæc externas: earum origo diversa: ligamentorum vices gerunt surculi venæ à plexu coroide, arteriæ à reti mirabili & membranarum stamina. Spiritus ingenitus igneus, lucidus, per vitreum & crystallinum quoquoversum fusus, quicum influens ejusdem naturæ & indolis, non modo permiscetur, sed & in universum oculum dimanat, ut oculo affabre compacto & constituto, visus erroris & fallaciæ reus esse nequit: sic vel unius rei necessariæ carentia, vel ejus à naturali statu egressione hebescit, hallucinatur aut omnino intercipitur. Inter corporis partes nulla est, quæ tot morbis essentiâ, causâ, vel affectâ parte discretis sit obnoxia, eorum numerus sine numero: omnes tamen visus hebetudine, hallucinatione & cæcitate sese proferunt: hæc in ægros tantum cadit, illæ etiam in sanos ac valentes, hæc non unius morbi verum eorum omnium à quibus infertur signum est & assecla.

II.

SI vitam lucis usus à morte distinguit cæcitas mortis quoddam genus est ipsa morte gravius, quæ doloris & ærumnarum sensum metumque omnem adimit, adeoque malorum portus, & optatum miseriarum effugium: illa acerbioris vitæ exordium & curriculum; hoc saltem solatio lenienda, quod si una est illius natura, non sors una. In visus (hoc est sensus cæteris dignitate, utilitate & certitudine antestantis) privatione omnimoda, vel imperfecta posita consistit; in hac lucis intentioris obscura est perceptio, in illa lucis & coloris nulla: utraque, sequitur morbi, cujus symptoma est, conditionem, qui si nec naturæ vi, nec artis opera elui potest; nec illa definet unquam: eo vero quacunque ratione sublato, ipsa protinus, ut umbra corpore opaco summoto evanescit, cesset necessum est: utriusque siquidem par omnino ratio; utraque caligo est, hæc inchoata, densa illa &

abſoluta: hæc corpus, illa morbum neceſſario conſequitur; habet hæc à corpore, quod in rerum natura exiſtat, à morbo illa: corpus ita hujus cauſa eſt, ut lumen concauſam habeat; illa à morbo & illius parente ſoboleſcit, at ab hoc interventu morbi. utraque fluxa eſt & in perpetuo motu, quocirca ut ſit, actualem cauſæ ſuæ influxum requirit, hinc eſt quod cæcitas tam arcto cum morbis à quibus orta procedit, nexu cohæreat copuleturque ut nulla arte ſolui poſſint, imo ne mente quidem abſtrahi, quin ipſa protinus eſſe deſinat.

III.

SANITATIS, morbi & intermedij ſtatus genus unum, conſtitutio ſtabilis non fugax partis, vel totius corporis, non humorum, quæ ſi ex naturæ legibus, ſanitas eſt; ſi parum deffectat, ſtatus neuter; ſi multum morbus. Naturalis & morboſæ conſtitutionis ratio diſpar, illa partis congruentem cujuſque naturæ & ætati temperiem deſiderat concinnam ad uſum, functionem, vel opus conformationem (quæ ex meatu, cavitate, lævitate aut aſperitate conſtat) magnitudinem, numerum, ſitum, ac connexionem, ejus unitatem, & ad ſenſum ut & motum ſpiritum influentem à cerebro: huic vel unius horum vitium, vel defectus ſufficit. Hinc morborum multitudo & varietas, quibus pars unaquæque oppetitur: quæ eo major eſt, quo pluribus ad obeundum munus ſuum opus habet. Naturalis conſtitutionis effectus & ſignum actionis integritas cum robore vel imbecillitate: morboſæ manifeſta ejus læſio, quæ multiplex, graviſſima ejus interceptio aut abolitio, quæ in oculo cæcitas, multorum & variorum morborum partus inauſpicatus, plurimum interſe diſcrepantium, at in effectu (ratione tametſi diſſimili) in ægrorum perniciem conſentientium.

IV.

CÆCITATEM inferunt morbi, qui viam rerum externarum ſimulachris ad oculi bulbum vel præcipuum viſus organum præcludunt. Ad illum utriuſque palpebræ invicem cohalitus, vel cum corneâ tunicâ adhæſus & pterygium, non omne, (vetuſtum tutius hamo vel lino ſuſpenſum reſecatur, quam collyriis exedentibus abſumitur.) Ad hoc leucoma ὑπόπυον (citam tunicæ corneæ ad iridis partem inferiorem ſectionem poſtulat (uveæ procidentia, quæ multiplex, μυοκέφαλον, μῆλον, ἧλος & ſtaphyloma, hoc ſine ragoidis prolapſu interdum eſt, & ab alio candore diſcernitur: ab his orta deformitas tollitur arctiore ligatura; ſummitatis amputatione vel triangulari vulnere inflicto ferro craſſiore, acuto, trina acie inſtructo, punctim adacto: his viſus non reſtituitur: (neque tamen promiſque utendum) pupillæ phtiſis, non quævis humorum confuſio, cataracta decuſſui matura, omnis ſpecie orbicularis, re non item, cujus una non eſt generationis ſedes, nec materia, color varius, figura multiplex, ſimplex vel gemina, nonnunquam in folliculum efformata liquorem lecti analogum continet. Is obex removetur paracenteſi oculi, acus ductu obliquo & ſui infra vitreum depreſſione, quam non connexus aut adhærentia operoſam facit, ſed continuitas, & eo magis, quo plus induruit, lacerari, non decuti totus debet. An liquor lacteus punctione vacuandus paulatim, prius quam cyſtis ejus acu deprimatur? An his effuſus paulatim humorum σύγχυσιν excitabit? Equidem, at fugacem & ultro deſituram. Qui lucis aut colorum judicem de ſuo trono incauti deturbant, glaucomatis affinitate cum ſuffuſione deluſi errore proſpero inſcij benefaciunt nonnunquam. Nequeunt externa viſus objecta imagines in cryſtallino delineare, humoris albuginei (in juvenibus naturâ non arte reparabilis effluxu, glaucomate, totius cryſtallini tabe ac ſquallore inemendabili, vel è propria ſede dimotione conceptas non percipiunt ſenſiuntque cryſtallinum & vitreum ſpirituum influentium, ad viſum edendum neceſſariorum copia fraudata, vel partium omnium nobiliſſimæ morbis, qui ſpirituum ad externos ſenſus commeatum intercludunt, vel cum à ſuâ conſtitutione natura-

li sic digressa est, ut nullos aut paucissimos cudere valeat, quemadmodum in brevi morituris, jam effœtis viribus, evenit. Vel nervi optici infarctu, ejus stegnosi tumore ab incubante tumore, aut substrato, vel à venâ & arteriâ illius comitibus nimio sanguine turgentibus, vel eo in partem capitis posticam retracto ab abscessu, aut tumore aquoso partium adjacentium: vel in anticam sic producto, ut totus oculus altero longe major extra cavum orbitæ protuberet; vel concidentiâ, eo emollito, vel eo cum oculum subit, coarctato ab ariditate tantâ, ut & inibi duo corpora rotunda, oblunga, osseæ naturæ concrescere posse, usus & visus nos docuerint, propositis modis omnibus visum præripiunt totius oculi atrophiâ, vel is sic erutus, ut illius effigies quædam aut vestigium tantum supersit. Morbi omnes visui officientes oculo merito adscribuntur, sive partes quibus insident ipsum componant, sive non: horum alij partem unam afficiunt, ut leucoma: alij duas, ut staphiloma: alij omnes, ut oculi atrophia, alij nullam, & hi totius oculi morbi sunt, ut ἀπόχυμα & humorum confusio. Partes oculi alias uno morbo infestantur, ut cum crystallini nitor ac splendor in glaucum colorem degenerat: alias multiplici; cum id ipsum prorsus exaruit: tunc quippe ab ingenitâ descivit temperie, figura vitiata, lævor corruptus, mutatus situs: hos omnes sive unius, sive variarum partium affectus sint, varios ac multiplices esse, sensus judicat, ratio confirmat.

V.

CÆCITATIS una est essentia, unius membri propria, homini cum brutis animantibus communis, non omnibus, non semper. Ejus species multiplex, perfecta vel imperfecta: à nativitate vel adventitia; ex longo temporis tractu contracta vel repente inducta: prævio morbo, eoque male morato, vel nullo: recens vel vetusta: tunicarum cæterarumque partium oculi nitore integro ac incolumi, vel eo temerato passim cũ deformitate & ea impari curationem admittit, vel remediis medicis est ἀναπότελεστος. Ejus cujuscunque sit speciei & morbi, cujus infælix est soboles, sors una, quam sanguis plus æquo exuberans parit, ut & surditatem, soluit liberalis ejus evacuatio, naturæ robore concita vel arte molita. Ex lue venerea ortam ptyelismus, quidni & alterius morbi maligni consectariam? ξυμπτώσει & ἐκπιέσμα, tempestivus hidroticorum usus remedio esse potest, ut confirmato ἀποχύματι una παρακέντησις revera est. An homo solus emisso humore cæcitate liberatur, quin potius occæcatur: at visus juveni restituitur. Si quis hirundinum pullis etiamnum juvenculis oculos pupugerit, cæci fiunt, convalescunt & denuo visum recipiunt, non chelidonij majoris aut variorum calculorum, qui in nidis reperiuntur appositione. Serpentum catulis & hirundinum pullis erutos oculos renasci fabulosum est. Nervi optici ἀπόρρηξις & ejus contractio à siccitate nimiâ, vitrei & crystallini glaucoma & hujus tabes humorum σύγχυσις pupillæ phtisis, procidentiæ uveæ genus omne, corneæ albugo ex profunda cicatrice genita, totius oculi macies. Supra naturæ vires sunt & industriam humanam superant omnem. Horum uno morbo, vel altero, vel pluribus unam, vel plures partes ad oculum spectantes obsidentibus, perennis (aut aliis sævientibus) temporarij carceris vicem subit corpus, & tenebroso horret situ, oculorum gratia ac splendore non affulgente.

Ergo cæcitas individuus variorum morborum asecla.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Raymundus Valet.	*M. Carolus Baralis.*	*M. Florimundus Langlois.*
M. Claudius Berger.	*M. Ioannes Antonius Burgaud.*	*M. Claudius le Vasseur.*
M. Antonius de Sartes.	*M. Germanus Hureau.*	*M. Dionysius Ioncquet, horti Regij Botanicus Professor.*

Proponebat Lutetiæ FRANCISCVS VEZOV, Parisinus

A. R. S. H. M. DC. LXX.